



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XVI. Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores
paupertatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

S. Augustin.
lib. 6. Con-
fess. cap. 14.

mendicatò. Sed diuersa sunt dona spiritus, diuersæ vocationes, vti & diuersi fines, ac diuersæ naturæ & vires. Non omnes possunt esse Alexandri, aut Mechtildes. Apostolorum exemplo patet, possessionem in communi, nil paupertati derogare. Quamquam neque hæc quidem paupertas omnibus competit. Quod S. Augustinus suo exemplo demonstrat. Narrat enim, se ante conuersionem agitasse consilium, cum socijs, de vita communi inuenda, vt remoti à turbis tranquillius viuerent; vt vnã, inquit, rem familiarem constarem ex omnibus; vt per amicitia sinceritatem non esset aliud huius, & aliud illius, sed quod ex cunctis fieret vnũ, & vnixerum singulorum esset; & omnia omnium. Et placuerat nobis, vt bini annui, tamquam magistratus omnia necessaria curarent, ceteri quietis. Sed postquam cepit (Romanianus vnus è socijs) cogitare, vtrum hoc muliercula sincerent, quas & alij nostrum iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud pactum, quod bene firmabamus, dissiluit in manibus, atque contractum est. Inde ad suspiria & gemitum conuertebamur, & gressus, ad sequendas latas, & tritas vias saculi. Nimirum non omnium est, etsi bona fortunæ vellent deferere, etiam deferere vxores. Quid ergo his faciendum? an amandæ diuitiæ, detestanda paupertas? nequaquam; cum tanta sint huius bona, vt etiam Ethnicorum plurimi eam ambierint. De quibus aliquid dicere, operæ pretium est.

CAPVT XVI.

Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores paupertatis.

I.



Ethnici, quamquam ad perfectam Euangelij paupertatem, quæ inducit bonorum communionem, atque vnus Dei vitæque æternæ amore suscipitur, assurgere non poterunt; ductu tamen naturæ aded multa viderunt, vt pacis, boni publici & priuati, ac Philosophandi, nonnulli etiam laudis causa, diuitias contemnerent, & sponte etiam pauperes esse mallerent. Atque inter hos non Philosophi dumtaxat, sed etiam Principes fuerunt; illi enim vt sapientiæ, isti vt Reipublicæ gubernaculis tantò liberiore animo vacare possent, curas sollicitudinesque pecuniarum à se abdicarunt, *Si vis vacare animo, ait Seneca, aut pau-*

Senec. ep. 17.

per

per sis, oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri, sine frugalitatis cura. Quam ob rem non dubitavit D. Chryso-
 mus pauperes cum opulentis regibus comparare, Diogenem cum Alexandro, Platonem cum Dionysio, Socratem cum Archelao; docuitque, illos sua paupertate, gloriosiores fuisse, quam hos cum regnorum suorum maiestate. Laudat quoque Epaminondam Thebanum principem, qui in concionem vocatus, cum venire non potuisset, quia vestem lauerat, nec aliam habebat, omnibus, qui eò venerant, illustribus viris spectatior illustriorque fuit.

Hanc tenuitatem vsque ad mortem seruata, etiam in Romanis principibus egregie laudant scriptores. Regio imperio, propter nimiam Tarquinij superbiam, finito, consulatus initium Valerius Poplicola cum Iunio Bruto auspiciatus est. Idemque postea tres consulatus acceptissimos Populo Romae gessit: & plurimorum ac maximorum operum praetextu titulum imaginum suarum amplificauit: cum interim factorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente, decessit: ideoque publica pecunia ducta sunt. Non attinet ulteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari; abunde enim patet, quid viui possederit, cui mortuo lectus funebris & rogi defuit. Quanta amplitudinis Agrippam Menenium fuisse arbitremur, quem senatus & plebs pacis inter se faciendae auctorem legit? Quantus scilicet esse debuit arbiter publicae salutis? Hic, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecunia inops decessit, ut sepultura honore caruisset. Verum idcirco perniciose seditioe diuidua ciuitas manibus Agrippae in unum contrahi voluit: quia eas pauperes quidem sed sanctas animaduenerat: cuius ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita & extincti, hodieque amplissimum est patrimonium Romana concordia. In C. vero Fabricij & Q. Emilij Papi principum saeculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet: uterque enim patellam deorum & salinum habuit. Sed eo lautior Fabricius, quod patellam suam corneo pediculo sustineri voluit. Papi quoque satis animose, qui cum hereditatis nomine ea accepisset, religionis causa abalienanda non potuit. Illi etiam pradiuites, qui ab aratro accersiebantur, ut cossi fierent, voluptatis causa sterile atque assuissimum Pupiniae solum versabant: deliciarumque ignari vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant: immo vero quos pericula reipublicae imperatores asserabant, angustia rei familiaris (quid cessio

S. Chryso-
 lib. 2. contr.
 vituperat.
 vitae mona-
 sticæ.

II.
 Val. Maxim.
 lib. 4. cap. 4.

propriam nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant. Atilium autem, qui ad eum accersendum à Senatu miserant ad imperium Populi Rom. succipiendum, semina spargentem viderunt: sed illa rustico opere attrita manus, salutem publicam stabilierunt; ingentes hostium cepias pessumdederunt. Quae, modo arantium bonum iugum rexerant, triumphalis curruus habenas retinuerunt: nec fuit ijs rubori, eburnes scipione deposito, agrestem suam aratri repetere. Potest pauperum consolari Atilius, sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solida laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio. Eiusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus primi Punici belli gloria, cladesq; maxima: cum in Africa insolentissima Carthaginis opes crebris victorijs contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset; consulibus scripsit: villicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemq; nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse. Ideoq; petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, unde vxor ac liberi suerentur. Qua postquam senatus à cons. accepit, & agrum Atilij illi colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis praeberi, resq; qua amiserat, redimi publicè iussit. Tanti arario nostro virtutis Atiliana exemplum, quo omnis aetas Romana gloriabitur, stetit.

III.

Luc. 16. 3.

Anton. in
Melissa part.
1. ferm. 33.

En quò venerunt, apud Ethnicos, sapientes? quod alij ignominiam putant, in eo gloriantur, neque enim, ut ille piger, mendicare erubescunt: neque se reprehendi censent, cum pauperes vocantur. Hinc, teste Antonio in Melissa, Aristides diuiti, sibi pauperiem obiectanti, respondit: *Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi verò diuitia non paucas perturbationes.* Existimarunt igitur isti, utique beatus esse perturbationibus his carere. Quin & Democritus discitabat, *Pauperis conditionem diuitis multò beatiorum esse.* Pauperes quippe maximis malis non infestantur, ut insidijs, odijs, inuidia, quibus diuites quotidie expositi sunt. Vnde meritò pauperes & sapientiae, & Reipublicae melius vacare possunt, quia quietiores. Aristoteles aiebat: *paupertatem multis quidem indigere, inexplentem autem omnibus.* At qui paucioribus indigent, sunt ditiores. Quare, eodem Antonio in Melissa teste, dixit Democritus quidam de paupertate sua querenti, *Si non multa desideres, paucis tibi multa videbuntur.* *Desiderium enim contractum paupertatem diuitijs equi-*

rijs equipollentem reddit. Quid, quod pauperes isti Mundo sunt necessarii, vt sine ijs viuere non possemus? Quis araret, si nemo indigeret? quis oues tonderet, quis boues pasceret, si omnes Mida essent? Quis texeret; quis calceos, quis vestes fueret, quis domos, quis vrbes edificaret, quis vllam artem mechanicam exerceret, si omnes satis haberent? Immo si non essent, qui seruirent, quis dominaretur? Quis nauta, quis auriga, quis auceps, quis piscator, quis mercator esse vellet, si quisque Prætor, si Imperator esse posset? Enim verò quis posset esse Imperator, si nemo inueniretur, qui vellet imperari? Numquam Cræsus in pistrino fuit, numquam messuit Sardanapalus. Seruus & dominus pariter ponuntur & tolluntur. *Magister artis venter est.* Multa excogitat fames. Et vt Mimus ait,

Hominem experiri multa paupertas docet.

Vel quemadmodum alius canit, *Ingenium mala sæpe mouent.* Quin Maronis testimonio, *labor omnia vincit*

Improbis, & duris vrgens in rebus egestas.

Virgil. lib. 4
Georgic,

Ingeniosa ergo est paupertas, & artium mater, quibus plurimiscareremus, si in Mundo paupertas deesset. Desineret industria ciborum; deficeret medicina; non haberentur vestimenta, omnis, seu ad necessitatem, seu ad elegantiam spectans, supellex tolleretur. Non essent pagi, non oppida, non commercia; non indigentia & mutuò suppeditata auxilia; non potentia, non obediencia; non vlli ordinum gradus, non magistratus; non ciues; non rustici; non Respublica: sed mirabilis quædam perturbatio; & in optimarum occupationum vicem, succederet otium, & à laboriosis operibus pigra cessatio; atque turpe quoddam chaos permistum omni genere nefandorum; hominesque pecudum more, sine industria, sine arte, sine lege, sine capite visitarent. Vnde vel Ethnici viderunt, paupertatem esse quoddam bonum Vniuersi, cui in acceptis referendum, quidquid fere est in rebus humanis, vtile, necessarium, pulchrum, quod labore constat, & sudore paratur.

Prolixa & elegans fabula est, in qua diuitiarum mala, & paupertatis commoda à Philosophis considerata enumerantur. In compendium conferam. Micyllus pauperculus sutor gallum habebat, à quo cantante, media nocte, expergefactus, coepit irasci,

IV.
Lucianus in
somnia, seu
Gallo.

ei que fustem & necem minitari, quam primùm diluxisset. Ibi gal-
 lus, instar Xanthi equi Achillis, apud Homerum, humana voce,
 herum allocutus dixit, se arbitratum esse, gratum id ei fore, si,
 quoad posset, alta nocte, lucem anteuertisset, vt ille antelucanò
 surgens, quàm plurimum operis conficeret, & priusquam sol diem
 faceret, vel vnicam crepidam absolueret, ad laboris lucrum accel-
 suram. Non placuit iste suturem quamuis prodigiosus sermo, sed
 perrexit indignari, quòd è dulcissimo somnio, admirabili felicitate
 fruens excitatus esset. Aiebat enim, tantum sibi mellis ab ijs
 nocturnis simulachris, in memoria relictum esse, vt nullo vñquam
 tempore vis illius obliuionem sit admissurus: vidisse enim se mul-
 tam vim auri, mirifico fulgore, pulcherrimè coruscantis, somniū
 autem inde ortum, quòd in illud incidisset ab hesterno conuiuio
 Eucratis natalicia filix celebrantis redux, & ebrius. Somnium
 tale erat. Visus illi Eucrates ipse, cum orbus esset liberis, nescio
 quo modo, è vita decedere, testamento prius condito, quo Micyl-
 lus in solidum hæres scribebatur. Itaque somniabat, se adire fa-
 cultates, & aurum argentumque ingentibus quibusdam scaphis
 exhaurire, perpetuò subscaturiens, & affatim affluens: tum au-
 tem vestes, mensas, pocula, ministros, & omnia sua esse. Postea
 videbatur sibi candido vehiculo vestari resupinus, cunctis, qui in-
 tuebantur, conspiciendus, & admirandus. Accurrebant permul-
 ti, ac circum equitabant: complures sequebantur. Micyllus in-
 terim Eucratis indutus vestitum, & annulos gerens circiter sedecim
 digitis insertos, epulum quoddam splendidum iubebat adornari,
 quo amicos acciperet. Iamque illi ita, vt in somnio fieri con-
 sentaneum est, adierant: jam epulæ erant comportatæ: jam potus
 ex animi sententia ministratus. In his cum versaretur somnians
 Micyllus, & aureis phialis præbiberet omnibus, qui adierant, ami-
 cis: cum jam inferrentur bellaria, gallus penetrabili voce suto-
 rem, ex ambrosia illa quiete excitans, perturbauit conuiuium,
 mensasque momento subuertit, ac diuitias illas omnes dissipauit,
 vt in auras euanescerent. Hac de causa calceolarius in gallum
 tam intempestiuè cantantem stomachatus est: siquidem vel tres
 noctes perpetuas adhuc libenter somnium illud continuari voluis-
 set. Sed somnium fuit, sicut & tota vita diuitum esse solet, qui vbi
 mortui

mortui fuerint, perinde illis erit, ac si diuitias somniasent dumtaxat; tunc enim finis erit omnium istarum voluptatum, atque opes euanescent, non secus ac fugere solent à somniante; iuxta illud: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Et tamen hoc somnio tanta mortalium multitudo capitur. Quare cum gallus ille (qui fingit se olim Pythagoram Philosophum fuisse) scire vellet, cur Micyllus auri tam cupidus esset, atque in opum possessione felicitatem esse putaret, ita furor diuitias laudauit. Auro ornari homines, Homerus est testis, apud quem Euphorbus comas Gratijs idcirco similes gestasse scribitur, quod auro atque argento cincinnis intexto prodiret pugnaturus cum Achiuis. Auro emi homines, Acrisij custodes confirmant, qui numquam se passi essent corrumpi, nisi aureum imbrem per regulas illapsum excepissent. Auro homines sunt non solum pulchri, sed etiam potentes, sapientes, atque etiam ex obscuris & infamibus clari ac celebres. *Nam nosti vicinum mihi, & eiusdem artificij Simonem, qui paucis ante diebus apud me cenauit, cum legumen coquerem Saturnalibus, duasq; extorum casuras immitterem, qui peracta cena fictilem ollulam suffuratus, eamque sub ala gestans abiit. Ei consobrinus erat vir supra modum diues, nomine Drimylus. Is quoad vivebat, ne obolum quidem donauerat Simoni, nam qui daret, cum ne ipse quidem pecunias attingeret? At simul atque mortuus est nuper, vniuersis illis opibus iuxta leges Simon ille, qui coria putria, qua patellam circumlingebat gaudens, purpura ostrog, circumtectus: famulosq; & currus, & aurea pocula & mensas eburnis innixas dapibus possidet: ab omnibus adoratur: jamq; nos ne aspicit quidem. Etenim nuper cum illum procedentem conspexissem: Salue, inquam, Simon ille indignè ferens: Edicite, inquit, mendico isti, ne vocabulum meum diminuat, neque enim Simon, sed Simonides appellor. Hæc & plura diuitum & diuitiarum emolumenta cum enumerasset Micyllus, tandem hunc epilogum addidit: *Vides, quantas utilitates pariat aurum? quandoquidem eos, qui sunt deformissimi, transfigurat, & amabiles reddit, non secus atque cestus ille Poëticus. Audis insuper & à Poeta dictum:**

O aurum auspiciata res, & ostentum optimum.

Et rursum: *Aurum est, quod opibus imperat mortalium.*

Ad hæc in Gallum versus Pythagoras subridens dicebat, Mi-

Psal. 75. 6;

V.

G c 3

cyllum

cyllum per inscitiam summopere falli opinione diuitiarum, more
 vulgi; diuites enim longè ærumnosiorẽ vitam viuere, quàm pau-
 peres. Se enim vtrorumque expertum esse conditionem, & vide-
 re, quoties videat aliquem paupertatis radio complorantem eiu-
 lantemque, ac diuitum admirantem fortunas, cùm nesciat, quan-
 tum in illis sit malorum, quantum bonorum in paupertate. Nam
 pauperem non magnopere tangi cura bellorum, si quando rumor
 sit, aduentare hostes: neque sollicitum esse, ne in agros incursans
 militum caterua populetur, neue hortum proculcet, proteratque,
 aut vineas vastet: sed simul atque tubam audierit, si tamen audie-
 rit, de se ipso vno circumspectare, quò deflexus seruari queat, ac
 discrimen effugere. Interea diuites de sese sollicitos esse, animoq;
 discrucari, cùm de mœnibus quidquid opum possidebant in agris,
 id omne tolli deportarique conspiciunt. Quòd si in prælium ex-
 undum sit, vt peditum turmis, aut equitum alis præsent; exire,
 cum tot periculis, cum quot impedimentis: pauperem vimineo
 clypeo expedito, & leui ad salutem consulendum. Tempore autem
 pacis, pauperem à diuite timeri, ne det suffragium malum inter-
 plebem constitutus, ne saxis degrandinet, ne facultates eius pub-
 licet: cùm ob inopiam ipse interim neque calumniatorem metuat,
 neque latronem, ne tollat aurum, vel ædium conscenso fastigio,
 vel pariete perfosso; neque necesse habeat rationibus occupari, ne-
 que exactionibus: neque illi cum sceleratis dispensatoribus con-
 sistendum sit: neque tantas in sollicitudines distrahat. Calceo-
 larium, simul atque crepidam vnã perfecerit, mercedemque re-
 tulerit septem obolos, serò surgere crepusculo; & si libuerit, la-
 uari: tum emto saperda quopiam, aut mænide pisciculo, aut pau-
 cis ceparum capitulis, semet ipsum oblectare, canentem plerum-
 que, optimaque cum paupertate philosophantem; adeò vt eas ob-
 res salubri sit valenti que corpore, obdurueritque aduersus gelu.
 Siquidem labores, qui illum exacuunt muniuntque, certatorem
 haudquaquam contemnendum reddere aduersum eas res, quæ
 compluribus inexpugnabiles esse videntur. Atque hinc nullum ex
 morbis illis grauioribus imperere illum. Quòd si quando leuis ce-
 perit febricula, paulo negotio eam medicatum, protinus exilire,
 inedia semet inde excutientem. Illam porrò fugere illico, quippe
 cùm

cùm metuat pauperem, quem videat etiam frigore ali, saturumque fieri, ac medicorum certis illis recursibus longum plorare renunciantem. Firmiorem igitur esse pauperum sanitatem, difficilius amitti, facilius recuperari: diuites autem, ob intemperantiã vitæ scaterere morbis, habere podagras, phtises, pulmonum exulcerationes, aquas intercutis, quæ omnia à sumptuosis illis conuuijs oriuntur. Quamobrem quisquis horum Icari in morem (vt ferè faciunt) sese attollit, propiusque se Soli admouet, ignarus se habere alas cera agglutinatas, ingentem quidem subinde strepitum mouere, sed Icari quoque in morem cadere. Ceterum, qui Dædali exemplo non admodum sublimia, neque excelsa appetunt, sed humilia terræq; vicina; adeò vt cera nonnumquam salis aspergine madescat, eos tutò plerumque ac citra discrimen transuolare. Aliorum naufragia fœdissima conspicit; nempe vbi Croesus reuulsis alis risum exhibet Persis, conscenso rogo: aut Dionysius, cùm abdicatus tyrannide, Corinthiorum in vrbe ludi litterarij magistrum agit, post gestum tantum imperium, puellos compellans, vt syllabas connectant.

Addit his Pythagoricus Gallus se quoque in exemplum. Nam ait se, cùm rex esset, supra modum fuisse infelicem. Et si enim externa specie planè fortunatus esse videretur, in animo tamen innumerabilibus curis fuisse districtum. Imperasse quidem regno magno, feraci, pulchro, populoso, quod neque fluminibus nauigabilibus, neque mari portuoso caruerit: habuisse exercitum ingentem, equitatum spectatissimum atque excellentem, satellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vim maiorem, quàm vt posset numerari, vasorum argenteorum magnam copiam, deniq; quidquid ad apparatus illum tragœdiamque pertinet. Vnde cùm prodiret, plerosque adorasse, Deum quempiam se intueri ratos, aliosque trudentes alios concurrisse, vt regem conspicerent. Nonnullos conscensis tectis, magni faciebant, si plenè contemplari licuisset quadrigam, stragulum, diadema, tum anteambulones, & qui à tergo comitabantur. Talis fuit externa facies Pythagoræ, cùm rex esset. At intus & in cute, quid fuerit, audi ipsam loquentem. *Ego inter hac mihi conscius, quanta me res discruciant, versarentq;*, inquit: *illos quidem propter insciam venia dignos iudicabam.*

VI.

dicabam, at mei ipsius miserecebat, qui prae grandibus illis Colossis viderer per similes, qualis vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus est. Etenim illorum quisque, quo ad ea qua foris apparent, Neptunus ipse est, aut Iupiter mirifice decorus, auro eborque compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuscina dextra sustinet: ceterum simmissis capite, qua sunt intus, inspicias, videbis vestes quasdam, paxillos, & clavos introrsum prominentes, neque non vimina, cuneosque, & picem sublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinsicam inhabitantem. Omitto recensere muscarum mustelarumque vim, qua nonnumquam in eis mansit ant. Huiusmodi quaedam res nimirum regnum quoque videtur. His recensitis, petijt sibi Micyllus explicari lutum, & clavos, & vestes, quinam fuerint in imperio, & alia quae sunt intra Colossum. Mox igitur Pythagoras gallicus ita perrexit: Quid primo loco tibi referam, Micylle, utrum metus, curas mordaces, suspiciones, odium quo regem persequuntur ij, qui cum illo vivunt, insidias, atque eas ob res somnum rarum, & hunc ipsum pertenuem, ac plena cumulus insomnia, cogitationes perplexas, spes semper improbas: atque otij penuriam, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta foedera, consultationes? quibus rebus sit, ut ne par somnium quidem aliqua re suavit frui liceat; verum ut omnibus de rebus solus dispiciat necesse est, milleque negotia suslineat:

Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat.

Somnus, multigenas versantem pectore curas, idque cum reliqui omnes Achivi sterterent. Adde, quod Lydum illum dicerat filius mortuus: Persam vero Clearchus ad Cyram desciscens: atque alium quempiam Dionem cum Syracusanis nonnullis ad aurem communitans. Rursum alium quemdam virum Parmenionem collaudatus. Item Perdicam Ptolemaus: Ptolemaum Seleucus. Quin illa quoque molestiam afferunt, si qui defectionem parare dicantur, aut duo quatuorve satellites inter sese confusurrantes. Porro (quod est omnium gravissimum) amicissimi quique, vel maxime sunt formidandi, semperque metuendum, ne quid magni ab illis exoriatur. Nam alius a filio veneno necatus est: alius item ab amasio. Alium simile quoddam fortassis mortis genus eripuit.

VII.

Ad haec Micyllus, Atrociora miraque sunt ista (inquirebat) qua narras, o gallice. Mihi igitur multo sit tutius opera cerdonica pronum innumbere, quam ex aurea bibere phiala comiter delatum haustum, cast-

runt

rūm cicuta aconitoq; temperatum. Nam mihi quidem hoc unum est periculi, ut si paulum aberres smilion deflectatq; a recta incisione, summum secantis digitum exiguo sanguine tingat: at isti, quemadmodum narras, lethifera agunt conuinia, atq; id innumerabilibus in malis constituti. Deinde, ubi conciderint, persimiles esse videntur tragœdiarum histrionibus. Nam multi, sicut videre licet, Cecropes sunt scilicet, aut Sisyphi, aut Telephi; diademata gestant, argenteisq; capulis gladios, somamq; ventilantem, & auro intertextam chlamydem. Quod si quis (qualia nimirum permulta solent accidere) impulsor illos media in scena precipites det, risum profecto moueant spectatoribus, videlicet persona unâ sum ipso diademate contrita, vero autem actoris capite luxato, cruribusq; maxima ex parte renudatis: ut jam interioris amictus quam miser sint panni, fiat perspicuum: ac cothurnorum, quos pedibus induxerunt, appareat deformitas, haudquaquam ad pedis modum respondentium. Quamobrem rectè colligit Pythagoras, nullam ex omnibus vitam sibi videri tranquilliorē vita naturalibus dumtaxat cupiditatibus & vitiis circumscripta. Posthæc, ipsa adhuc nocte, reliquis mortalibus quietem concedente, circumduxit Micyllum gallus, per diuitem domos, ut eorum beatam vitam eorū oculis, vel ad obscuram sticulosamq; lucernam intueretur. Et quidem primò ad illius ipsius ædes, qui ex Simone Simonides factus, cupiditatem Micyllo à puero insitam, quam numquam dediscere potuit, videlicet ut diues euaderet, insperata felicitate sua inflammaret. Ibi ergo vidit Simonem Simonidem, ceteris dormientibus, vigilantem, ac supputantem, pallentemq; admodum, atq; extenuatum, curis enim totus exaruerat. Quibus de causis, Simon ipse indicauit, his verbis secum loquens: Nimirum septuaginta illa talenta tutò admodum sub lectica defossa sunt, neq; quisquam alius omnino vidit? At verò sedecim illa Sosylus equisò vidit me sub presepe occultantem. Itaque de curando stabulo non est admodum sollicitus, quamquam nec alias admodum laboris appetens. Verisimile est autem, illum multò etiam his plura sustulisse. Nam unde alioqui Tibius heri tam ingens salsamentum illi obsonio proposuisset? Tum autem aiunt, illum monile emisse uxori drachmis quinq;. Heu misero mihi! Hi omnia mea dissipabunt bona. Quid, quòd ne pocula quidem sat in tuto mihi recondita sunt, cum sint multa? Vereor enim, ne quis ea, suffosso pariete

D d tollat.

volat. Complures mihi invident, atque insidias parant. Optimum igitur fuerit, ut ipse in somnis seruem. Omnem obibo domum, in orbem obambulans. Quis iste? Video te per Ionem, ô parietum perforator. Sed es columna, bene res se habet. Pernumerabo denno refossurum argentum, ne quid forte dudum me fugerit. En rursurum obstrepuit mihi nescio quis. Nimirum obsideor, atq; insidijs appetor ab omnibus. Ubi mihi gladius, si quemquam deprehendero? Rursurum aurum defodiamus. Hæc in jam diuitis Simonis domo, & complura, in aliorum opulentorum, usufruarum rationes digitis contortis iterantium, ædibus postquam vidit Micyllus, & verò etiam in ipsius Eucratis palatio, exclamauit: O miser, cuiusmodi viuuit vitam? hostibus eueniat. ad hunc modum diuites esse. Valeat aurum & conuiuia. Duo oboli mihi potiores diuitie sunt, quam si à domesticis mihi domus perfodiatur. In hunc modum, ex Pythagoræ, immò galli Pythagorizantis admonitione, didicit Micyllus sacor philosophari; & paupertatem diuitijs anteferre.

VIII.

Suprà cap. 2.
§. 8. S. Hieronymus, ep. 13.

Anton. in
Melissa. p. 1.
serm. 33.

Stobzus ser.
95.

Plutarch in
Laconicia.

Sen lib. 5. de
benef. c. 4.

Ob quas rationes etiam alij sapientes inopiam non solum æquo animo tulerunt, sed etiã gazis regijs prætulerunt. Illis, quos suprà recensui, accedat paulo aliter à S. Patre, quàm à Madaurensi Philosopho citatus. *Craes Thebanus*, ait S. Hieronymus, *magnum auri pondus proiecit in mare, quòd diceret, non posse se diuitem scietis bene philosophari: Mergam*, inquit, *vos, ne mergar a vobis.* Cato quoque dicebat, honestam paupertatem impijs diuitijs, longè præferendam esse: hoc enim opprobrij, illud miserationis causã, fieri solere. Quin Diogenes paupertatem appellabat virtutem *Xurodidaxlor*, id est, quæ per se discitur. Non enim multis opus est documentis, ut quis pauper fiat; aut, si pauper est, ut frugaliter viuat; diuites autem indigent multis præceptis, ut discant temperantiam, ut exerceant liberalitatem, ut abstineant à luxu, ne superbiant in vestibus, quæ omnia seipsam docet paupertas. Plutarchus scribit, Lycurgum rogatum, *Quomodo Sparta salua & inuicta contra hostes consistere possit?* respondisse: *si pauperes fuerint, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos enim spes præda inuitat hostem, nec facile potest elabi, qui sarcinis, & impedimentis retardatur. Ad haec entiores sunt ab hostium incurso, apud quos est equalitas, & ex equalitate concordia.* Senecæ certè generosum est dictum: *Sunt quidam extra omnem subdulli cupiditatem, qui vix vllus humanis desiderijs con-*
ringuntur.

Cap. XVI. Ethnici paupertatis amatores & laudatores. ast

ringuntur: quibus nihil potest prestare ipsa fortuna. Necessè est à Socra-
te beneficio vincari: necessè est à Diogene, qui per medias Macedonum
gazas nudus incesit, calcatus regis opibus. Nonnè illa tunc meritò, &
sibi, & ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo,
supra eum eminere visus est, infra quem omnia jacebant? Multò poten-
tior, nullò locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro, plus
enim erat, quod hic nollet accipere, quàm quod ille posset dare. Adèd
fuit paupertas in Diogene potens.

In compendio, apud Madaurensem Apologistam, paupertas
est, apud Gracos, in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminonda
strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. Quod compendium vt
intelligatur, omnium Gracorum, ait *Ælianus*, clarissimi prastantissi-
miq; Viri, per totam vitam, in extrema mendicitate versati sunt, quis
igitur diuitias laudavit, cum omnium Gracorum probatissimis Viris,
forte quadam, paupertas per uniuersam vitam adhaerit? sunt autem
hoc eorum nomina, velut *Aristides* filius *Lysimachi*, qui multa preclara
domi militiaq; gessit, & Gracis tributum ordinavit: Ad ille non tantum
post obitum reliquit, vt exequijs celebrandis sumptus esset. *Phocion* eti-
am egenus erat, attamen cum *Alexander* ei mitteret centum talenta,
interrogauit: quam ob causam hac mihi donat? qui cum responderent,
quoniam te solum ex omnibus Atheniensibus bonum honestumq; virum
iudicat: Sinat igitur, inquit, me talem esse. Etiam *Epaminondas* *Polym-
nidis* filius pauper erat, cum autem *Iason* ei quinquaginta aureos num-
mos misisset, iniuriam, inquit, mihi facere incipis, & quinquaginta
drachmis à cine fœnore acceptis, vt essent pro viatico, profectus est in
Peloponnesum. Cum verò nuncium allatum esset, armigerum eius pe-
cuniam à captiuo quodam cepisse. *Mibi*, inquit, da scutum, tu verò
tibi cauponam eme, in qua viues; non enim ulterius pericula subire vo-
les, cum diues sis factus. *Pelopidas*, cum obiurgarent eum amici, quòd
pecuniaria rei ad vitam tuendam conferentis nullam curam gereret,
& inquit, me hercule res vilis est: Verùm huic *Nicomedi*, intento di-
gito in hominem claudum & mutilum. *Scipio* quinquaginta quatuor
annorum vita spatium emansus, neq; emit neq; vendidit quidquam, adèd
paucis fuerat contentus, cum autem ei quidam scutum diligenter appa-
ratum ostenderet, dixisse fertur; atqui Romanum cinem par est in dex-
tra spem ponere, non in sinistra. *Ephialtes* *Sophonida* filius pauperri-

IX.

Apul. in Apo-
logia.

Ælian. lib. iij.
varian. c. 90.

mus fuit: etsi verò amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit: hec, inquit, me cogent, reuertentem quidem vobis aliquid prater jui concedere; Sin minus vos obseruarem, ingratisimum videri.

X.

Talia dicta & alij dixerunt, vnde & eorum paupertas, & virtus eluceret. Nam nostro æuo multi audiuerunt, Henricum IV, de se iocantem antè, quàm Franciæ gubernacula illi traderentur: Quòd rex esset sine regno, & maritus sine vxore, ac dux belli sine pecunia. Sed minùs mirum est, Christianos aut Christianissimos inopiam ita suscipere, vt in ea etiam iocentur; illud paupertatis pretium magis detegit, quòd ab Ethnicis, & solo naturali lumine, tanti fuerit æstimata rerum egestas. Quare, vt Ælianus eam in Græcis, ita Valerius Maximus in Latinis ostendit. *Non magna latifundia L. Quintij Cincinnati fuerunt: septem enim iugera agri possidet: ex hisq; tria, qua pro amico ad ararium obsignauerat, multa nemine amisit: pœnam quoq; pro filio Casone, quòd ad causam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu soluit, & tamen ei quatuor iugera aranti, non solum dignitas patris familiae constitit, sed etiam dictatura delata est. Angustè se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. Hic tantus vir pauper fuit, non quia debuit, sed quia voluit esse pauper. Quid Ælia familia, quàm lecuples? Sexdecim eo tempore Ælij fuerunt, quibus vna domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariawa monumenta: & vnus in agro Veiente fundus minùs multò cultores desiderans, quàm dominos habebat. Inq; Maximo & Flaminio spectaculi locus: qua quidem loca, ob virtutem, publicè donata possidebant. Sed, vt luxui deditis etiam tota ditio non sufficit, ita frugales paruus ager alit. Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus, Perse rege deuictò, Qui Ælio Tuberoni genero suo quinq; pondo argenti ex prada donaret. Taceo enim quòd princeps ciuitatis filiam ei nuptum dedit, cuius penata tam ieunos pecunia videbat. Quin ipse quoq; adeò mops decessit, vt nisi fundus, quem vnum reliquerat vanisset; vxor eius dotem vnde reciperet, non extitisset. Animi virorum & feminarum vigeant in ciuitate: eorumq; bonis, dignitatis æstimatio cunctis in rebus ponderabatur: Hac imperia conciliabant, hac iungebant affinitates: hac in foro, hac in curia, hac intra priuatos parietes plurimùm poterant. Patria enim rem, non suam vnusquisq; augere properabat: pauperq; in diuite, quam*

Val. Max. lib.
4. c. 4 n. 7.

dines in paupere imperio versari malebat. Atq; huic tam praclaro proposito illa merces reddebatur, quod nihil eorum, qua virtuti debentur, emere pecunia licebat, inopia q; illustrium virorum publice succurrebatur. Itaque cum secundo Punico bello Cn: Scipio ex Hispania senatus scripisset, petens, ut sibi successor mitteretur, quia filiam Virginem, adulta jam aetate haberet, neque ei sine se dos expediri posset: senatus, ne respublica bono duce careret, patri sibi partes desumpsit; consiliaq; uxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam eius ex arario erogavit, ac puellam nuptum dedit. Doti modus 11. millia aris fuit. In quo non solum humanitas Patrum conscriptorum, sed etiam habitus veterum patrimoniorum cognosci potest. Namq; adeo fuerant arcta, ut Tatia Casonis filia, maximam dotem ad virum 10. millia aris attulisse visa sit: & Megallia, quia cum quinquaginta millibus aris mariti domum intravit, dotata cognomen inuenerit. Ideo senatus Fabricij Luscinii, Scipioni q; filias ab indotatis nuptijs liberalitate sua vindicavit: quoniam paterna hereditati, prater optimam gloriam, nihil erat, quod acceptum referrent. Magis igitur, populi Romani opinione, honorificum illis erat, patrem iustum, quam opulentum habuisse. *M.* autem Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de vita sua scripsit refert: ait enim sibi decem sola mancipia, totumq; censum quinq; atq; triginta millium nummorum reliquit. In hac penuria ille futurus senatus princeps nutritus est spiritus: qui ut fruges nimis imbibus, ita abundantia suffocatus fuisset. Hac igitur exempla reflicere, his acquiescere solatijs debemus, qui paruulos consuevit nescire nunquam querelis vacuos esse sinimus. Nullum autem admodum parvi perderis argentum, paucos seruos, septem iugera arida terra, indigentia domi, publice impensa funera, inopes dotum filias; sed egregios consulatus, mirificas ditaturas, innumerabiles triumphos certimus. Quid ergo medianam fortunam, quasi precipuum generis humani malum, auturum conuulsis laceramus? qua ut non abundantibus, ita fidei uberibus Poplicola. Alios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hi q; paria robera virtutis allicit. Exurgamus petens animis, pecunia q; asseclu debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus: namque per Remuli casam, perq; veteris Capitolij humilia ieta. & aeternos Vesta focos, sicutilibu etiamnum vasis contentos iuro; nullas diuitias talium virorum paupertati posse preferri. Hac ab Ethnico audiat, & discant.

discantque Christiani, ne vel in paupertate fiant impatientes, Deumque accusent; vel in fugitiuis diuitijs nimis confidant.

Quid. lib. 3.
de Trillib.

*Nempe dat, & quodcumq; libet fortuna, rapitq;
Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.*

CAPVT XVII.

S. Bernardini, de triplice genere pauperum, sententias & Codri Cræsiq; exempla.

I.

Diuitias paupertatis, paulò priùs, ostendimus Lucianum descripsisse, more, & ore Philosophorum. Nunc coronidis loco, etiam Sancti alicuius testimonio, elogia paupertatis adijciamus. Est autem is Bernardinus, Senensis, Ordinis Minorum, ac vrbs Aquilæ patronus, vir æquè sanctus ac doctus, qui tres facit seu paupertatis, seu pauperum classes: *prima dicitur voluntaria, secunda necessaria, tertia simulatoria. Prima laudabilis, secunda tolerabilis, tertia detestabilis. Prima pauperum Christi, secunda pauperum mundi, tertia pauperum diaboli. Prima cum merito, secunda sine merito, tertia cum demerito.* Hunc ordinem si inuertamus, propemodum respondebunt hæ classes ijs, quæ suprâ ex Hugone attulimus, nisi quòd in prima alteraque classe aliquid variatur. Sed tertia Hugonis, quæ præcipua est, omnino eadem est, cum prima Bernardini, verùm cum magna paupertatis commendatione deducta. Omnes autem classes egregiè declarant, quid sit in hoc genere fugiendum, quid obuijs vlnis ab illis, qui perfectionem amant, aut diuinæ se se prouidentiae accommodare student, amplectendum.

S. Bernardin.
Senens. tom.
3. tractat. de
S. beatit. 2. l.
cap. 1. 2. & 3.

II.

Simulata ergo, detestabilis, diabolica, & inferno digna paupertas est, seu diuitis, seu egentis inuiti; hoc ipso pauperis, quia cupidus & avarus est: tantum enim illi deest, quantum cupit habere; tantumque torquetur animus eius, quantum inexplebilis avaritia suggerit esse cupiendum. *Attenuetur fame robur eius, & inedia innadat costas illius.* Nimirum auri sacra famæ istos extenuat; & cum non habent, quem deuorent, inedia consumuntur. Hi quò plus habent, plus desiderant; & semper, quò plus bibunt, plus sitiunt; sicut qui salas maris aquas hauriunt, bibendi appetunt.

Iob. 32. 12.